

necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub diu, vel sub terra, et gravi omnino urgente necessitate, etiam bis in die (si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac iunus fuerit), nec non super altari portatili, etiam non integro, seu diffracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

VI. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate indulgentiam plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, ac Assumptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus, vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem.

VII. Singulis autem Dominicis, aut aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annos de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta; easdemque indulgentias sibi lucrandi.

VIII. Singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ officio novem lectionum non impeditis, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili (si aliter celebrari non possit), et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii.

IX. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subsit sacrilegii, vel irreverentiæ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen apto atque decenti.

X. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent) vestibus sæcularibus, licet sacerdotes etiam regulares fuerint.

XI. Benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria, et pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit.

XII. Reconciliandi Ecclesias, et capellas, ac cœmeteria, et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus conseruerint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa

etiam a memorato antistite non benedicta.

XIII. Præterea eidem Capellano Majori per se pariter, vel alium, seu alios ab eo subdelegandos probos, et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestationem, et informationem, ab eorum ordinario, aliisque personis fide dignis per ipsum Capellanum Majorem desuper requirendam omnem, et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitiis præfatis pro Sacramentorum administratione, necnon spirituali animarum cura, et directione pro tempore inservient, sive clerici, vel presbyteri sæculares, sive quorumvis, etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, perinde ac si quoad clericos sæculares, eorum veri præules et pastores, quoad regulares vero, illorum superiores generales essent.

XIV. Omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, et mixtas inter, seu contra præfatas, aliasque personas, in exercitiis prædictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter, et de plano sine strepitu, et forma judicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, ac fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet ad censuras, et pœnas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam sæpius reagrandi, auxiliumque brachii sæcularis invocandi.

XV. Eisdem insuper Christifidelibus in dictis exercitiis degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiis, ac etiam carnibus Quadragesimæ, et aliis anni temporibus, et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta et Sabato cujuslibet hebdomadæ, ac tota majori hebdomadæ, quoad carnes exceptis) vescendi.

XVI. Ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi et absolvendi respective, prout, et in quantum Episcopis, locorum ordinariis, juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta, id facere licet, seu permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta, necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denuntiationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent.

XVII. Ad septennium, ac interim ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus et impertimur.

XVIII. Volumus autem, ut ii sacerdotes quos idem Capellanus Major pro Sacramentis etiam parochialibus, militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga milites præsidarios, qui continue arcium, seu aliorum locorum custodiæ adscripti sunt, quos eorumdem locorum parochis, et ordinariis in omnibus, et per omnia subesse debere declaramus, sed dum-

taxat erga milites, et personas exercituum prædictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur, tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus, et temporaneis sive hibernis, sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus pro tempore detinebuntur, ita tamen ut statim atque iidem sacerdotes, quos Capellanus Major subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, litteras testimoniales tam super eorum sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore præsentium concessis pro ejusmodi munere exercendo, parochis locorum exhibere debeant, quibus visis hi non impediunt, quominus Missam in suis Ecclesiis celebrare, ac in vim earundem facultatum Sacramenta etiam parochialia ministrare valeant.

XIX. Quod si ex tempore matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum præfatarum commoretur, altera vero parochi loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu, nec parochus sine sacerdote hujusmodi, nec vicissim sacerdos sine parochi celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur; sed ambo simul atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, accipiant, et inter se dividant.

XX. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon ordinum, quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, ordinibus præfatis, vel eorum superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, ac approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. in arce Gandulphi Alban. diœcesis sub annulo Piscatoris die 28 Maii 1746, pontificatus Nostri anno sexto.

D. Card. Passioneus.

Registrat. dal Senato per ordinato de' 4 Luglio 1746.

ADDITIO EX ALIENA MANU.

(17. De variis nominibus Magni Capellani Regum, tum ejusdem diversis temporibus juribus, consule, ubi res postulat, eruditissimum Carafa de Capella Regis, c. 3 et 4. utrobique per tot.

ADDITIONES CASINENSES.

(18. Facultates concessæ Capellanis castrensibus penes Cæs. Reg. Austriacam militiam vi bullæ die 12 Octobris 1780 datæ, et confirmatæ 23 Maii 1815 sunt sequentes:

1. Conceditur facultas, confirmatione et ordinatione exceptis, administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ non nisi per parochialium Ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, reliquasque functiones, et munia parochialia obeundi.

2. Absolvendi in foro dumtaxat conscientie ab hæresi, apostasia a fide, schismate quoscumque, etiam Ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes.

3. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus etiam in casibus Summo Pontifici, et Sedi Apostolicæ specialiter reservatis.

4. Retinendi et legendi, non tamen aliis similem licentiam concedendi, libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque, ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, seu infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, ita tamen, ut libri prohibiti ex provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime afferantur.

5. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et aliam post meridiem, et si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, vel sub terra, et gravi omnino necessitate, etiam bis in die, si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunos fuerit; nec non super altari portatili, etiam non integro, seu diffracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

6. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate indulgentiam plenariam; alias itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædicta castra exercitus pertinentibus, in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt; necnon in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis et immaculatæ festis diebus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, similiter plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem singulis autem Dominicis, et aliis de præcepto festivis diebus relaxandi iis, qui ejus concionibus interfuerint, decem annos de injunctis illis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, easdemque indulgentias sibi lucrandi.

7. Deferendi in locis, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subeat sacrilegii vel irreverentiæ, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti.

8. Induendi in iis partibus, per quos propter hæreticorum, vel infidelium insultum



tus aliter transire, vel in illis morari non licet, vestes sæculares.

9. Benedicendi quæcunque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum, pro servitio eorundem exercituum dumtaxat necessaria, et pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda est.

10. Reconciliandi Ecclesias et capellas ac cæmeteria et oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsi exercitus conederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus; aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta; imo etiam magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis et aliis festis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta.

11. Iis quorum curam habent concedendi licentiam vescendi ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiis, ac etiam carnibus, in Quadragesima, et aliis anni temporibus, ac diebus quibus eorum usus est prohibitus, et quidem militibus a decurione, vulgo Feldwebel deorsum, ita ut abstinentiam a carnibus solum teneantur singulis diebus Veneris in Quadragesima, et tribus ultimis diebus hebdomadæ sanctæ, officialibus vero ita, ut ad abstinentiam a carnibus solum teneantur omnibus diebus Veneris per totum annum, diebus quoque sabbatinis in Quadragesima, et tota hebdomada sancta.

12. Dispensandi, si urgens causa, et prævia dispensatio ex parte magistratus militaris adsit, quoad omissionem omnium, vel aliquarum e denunciationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti debent.

13. Etiam matrimonio, si ex sponsis contrahentibus altera persona militaris, et altera parochi loci subdita sit, simul assistendi, prout ex præscripto supradicti apostolici brevis, nec parochus loci sine Capellano militari, nec hic vicissim sine illo celebrationi ejusdem matrimonii assistere, aut benedictionem impertiri, sed uterque concurrere et assistere debet, atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, inter se dividere, nisi per peculiarem conventionem, aut loci consuetudinem parochi civilis sponsæ copulationis actus adjudicatus sit, vel persona civilis a parochi suo ad Capellanum castrensem dato in scriptis testimonio dimittatur.

19. Benedictus XIV in sua constitutione *Convenit*, edita pridie nonas Julii 1641, quam secutus est IV idus Novembris ejusdem anni *Motus proprius* ejusdem Pontificis, varia concedit privilegia Capellano Majori Regni Neapolitani, spectantia ad opportunam sacramentorum administrationem, et procurandam animarum salutem pro militibus ejusdem regni; quæ etiam artic. 26. Concordati Pium VII inter et Ferdinandum I utriusque Sicilia Regem confirmata fuerunt, ubi sic legimus: *La curia del Cappellano Maggiore, e la sua giurisdizione, si conterrà*

*ne' limiti della costituzione di Benedetto XIV che comincia Convenit, e del susseguente Motu proprio dello stesso Pontefice sul medesimo oggetto.* Ambas Constitutiones huic articulo adjungimus ex opere cui titulus: *Pragmaticæ, Edicta, Decreta, Interdicta, Regiæque Sanctiones Regni Neapolitani*, ut pote non impressas in bullario dicti Pontificis, ubi non invenies constitutiones *privata negotia spectantes*.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Convenit providæ Apostolicæ Sedis benignitati facilem se, et liberalem ostendere in gratiis, et favoribus elargiendis Christianis principibus, qui ex præclaris majorum suorum meritis, et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, et obsequio erga hanc Sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur, piisque eorum votis libenter annuere, quæ ad Dei gloriam, et quietem, ac tranquillitatem sacrorum ministrorum procurandam conducunt, eorum præsertim, qui sacro suarum Capellarum servitio adscripti in regiis aulis versantur, ut Christifidelibus ibidem commorantibus, vel inservientibus sacrosanctæ Ecclesiæ Sacramenta administrent, eosque verbo, et exemplo ad pietatem, et religionem instruant, atque informant. Sane dilectus filius noster Trojanus tituli S. Cæciliæ S. Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis de Acquaviva nuncupatus pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilia, et Hierusalem cum tota terra citra pharum Regis illustris, et Hispaniarum infantis Nobis nuper exposuit, quod a tempore, cujus memoria non extat, ad capellæ regiæ Capellanum Majorem in toto regno Neapolitano pro tempore existentem non solum cura spiritualis Regiæ familiæ, consanguineorum, affinium, ac omnium personarum in curia, seu aula Neapoli existente commorantium, ipsamque curiam sequentium pertinet; sed et in quibusvis civitatibus, oppidis, et locis, in quibus Rex pro tempore existens, regiæque familia residere contigerit continue, vel ad tempus, curam animarum familiæ regiæ, omniumque, et singularum personarum tam ex propriis regnis, et dominiis originem habentium, quam extraneorum cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, et præeminentiæ existentium, tam ecclesiasticorum, quam sæcularium, (Archiepiscopis et Episcopis exceptis,) et insuper omnium militum, et officialium, aliarumque personarum cujuscumque ordinis et gradus in castris, arcibus, seu fortalitiis, exercitibus, necnon in triremibus, navibus, ratibus, aliisque hujusmodi maritimis lignis regio famulatu inservientium et militantium, exercere, earumque rector in spiritualibus nuncupari, easque corrigere, et visitare, ac in easdem omnimodam jurisdictionem ordinariam, omnia et singula alia, quæ Archiepiscopi et Episcopi, ac alii locorum ordinarii in dice-

cesibus suis de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet facere, et exercere consueverunt, idem Capellanus in prænominatas personas non solum in regia capella, et palatio, sed in omnibus aliis supranominatis ac designatis locis exercere, vel per se, vel per alios ministros, et Capellanos a se deputatos solet. Cum autem ex hujusmodi facultatum usu, et exercitio plura dubia, quæstiones, et dissidia inter Archiepiscopos, et Episcopos regni Neapolitani, et prædictum Capellanum Majorem exorta fuerint, quæ adhuc vigent, et graviora in diem non sine fidelium scandalo timeri possunt, nomine prædicti Caroli Regis pro eximia sua pietate hujusmodi malo congrua adhibere remedia cupientis, supplicavit, ut omnes et singulas facultates, jura, et prærogativas in quascumque personas, et in quibusvis locis, Capellano Majori totius regni Neapolitani pro tempore existentis ex antiqua et immemorabili consuetudine, vel etiam ex indulto, et privilegio Sedis Apostolicæ, vel alia quacumque ratione competentes, nostræ confirmationis robore communire, easque nominatim, et expresse designare, earumque terminos, et limites præscribere, et definire, et quatenus opus sit, de novo rursus concedere, et elargiri dignaremur, atque alias salubriter providere ad tollendas omnes controversias, et dissensiones abolendas, prout in Domino conspiciamus expedire. Nos, qui de præmissis omnibus sufficienter instructi sumus, supplicationibus prædicti Caroli Regis humiliter Nobis a prædicto Cardinali de Acquaviva porrectis inclinati, et laudabili ejus desiderio, et commendabili pro pace, et concordia inter sacros ministros retinenda, fovendaque studio satisfacere volentes, eumque gratiis, et favoribus prosequi singularibus cupientes, etiam omnium disputationum, et jurgiorum causas prorsus eliminare, ac periculis, quæ exinde fidelium animabus imminere possunt, opportune occurrere; et præterea dirigentes considerationis nostræ intuitum ad personam venerabilis fratris nostri Cælestini Archiepiscopi Thessalonicensis moderni Capellani Majoris in toto regno Neapolitano, ejusque successorum, quos a provida dicti Caroli Regis, et Hispaniarum infantis, suorumque in prædicto regno successorum vigilantia, et prudentia ei non absimiles electum iri minime dubitamus, in ejus, eorumque probitate, zeloque divini cultus, et in rebus ecclesiasticis peritia ac scientia, recte ac prudenter hujusmodi facultatibus, indultis, privilegiis, gratiis, et concessionibus ad decorem domus Dei, et animarum salutem usuros esse, minimeque in subversionem ecclesiasticæ disciplinæ, et perturbationem episcopalis jurisdictionis abusuros, certo confidimus, et in Domino obsecramus. Propterea abrogatis in futurum, et penitus submotis quibuscumque, quæ contra et præter præsentium tenorem hactenus quomodolibet observata, vel prætensa fuerunt, ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine,

adhibito etiam nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, tenore præsentium volumus, et decernimus.

I. Ut regia Capella in regali palatio Neapoli existens omnia et singula jura, et prærogativas, excepto tamen jure asyli, quibus publicæ Ecclesiæ fruuntur, habeat, ac potiat, in eaque liceat divina officia, horasque canonicas ad Breviarii ac Missalis Romati regulam, et formam, Romanumque morem, et usum recitare, et Missas per unam horam ante auroram, et unam post meridiem celebrare, seu recitari, et celebrari facere; in eaque sacram Eucharistiam in sacra custodia, seu Tabernaculo decenter, et cum debito honore, et veneratione retinere; illamque pro gratiarum actione, vel ad divinam opem implorandam, vel pro alia quacumque necessaria causa, et in festo Corporis Christi, et per totam ejus octavam publice fidelium venerationi exponere, et in uno ejusdem octavæ die circum eandem capellam processionaliter deferre; in quinta autem, et sexta feria majoris hebdomadæ sacrum Domini Nostri Corpus, in sacra custodia, seu urna reponere, et pro religioso Ecclesiæ more monumentum, sepulturamque ejusdem Christi Domini, luminibus adhibitis, repræsentare. Præterea non solum in eadem regia capella, sed in omnibus capellis castrorum, seu fortalitorum sacra olea, et tempore navigationis oleum extremæ unctionis in regiis triremibus, et navibus bellicis congruo honore, et reverentia servare, et custodire.

II. Insuper ut dictus Carolus rex, ejusque in regno Neapolitano successores facultatem habeant nominandi, et eligendi sacerdotem sæcularem, vel regularem ab Episcopo suo approbatum, et in Romanæ Ecclesiæ communionem viventem, qui munere Capellani Majoris in toto regno Neapolitano fungi, et pro majore officii sui decore, habitu, seu veste prælatitia, quam in Romana curia prælati, sive regulares, sive sæculares gestare solent, pro sua conditione ac statu uti, absque tamen gestatione crucis in pectore more Episcoporum, nisi sit in eadem episcopali dignitate constitutus, possit; et insuper ab omni ordinaria jurisdictione exemptus, dumtaxat Nobis et Sedi Apostolicæ immediate subjectus existat. Tum etiam ut eidem Carolo Regi ejusque in regno successoribus, vel eorum proregibus, vel per seipos, vel per dictum Capellanum Majorem alios inferiores Capellanos, et scholares eligere, et deputare liceat pro servitio tam regiæ capellæ, quam pro indigentia hospitalium, militum, et classiariorum, regionum castrorum, seu arcium, exercituum, triremium, navium, aliorumque hujusmodi lignorum maritimum actu, et revera Regi inservientium, dummodo tamen personæ eligendæ se de nullo crimine inquisitos esse, testimoniales litteræ suorum respective ordinariarum, ac superiorum exhibeant. Hujusmodi vero omnes clerici, et sacerdotes regio servitio adscripti, eo durante, a locorum ordinariarum juris-



dictione prorsus exempti, solum præfato Capellano Majori subjecti sint, quemadmodum per præsentis exemptos, et respective subjectos esse declaramus. Itaque idem Capellanus Major omnes, et singulas controversias, lites et causas tam civiles, quam criminales, seu mixtas, atque etiam beneficiales, exceptis tamen causis hæresis, tum omnes causas excipimus a sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus Summo Pontifici privative reservatas, contra dictos Capellanos, clericos, et scholares dictæ capellæ in ea actu servientes, nec non in dictis castris, arcibus, seu fortalitiis, aliisque locis constitutos clericos, et Capellanos ibidem et actu inservientes, extra tamen Romanam curiam, motas, vel movendas, tam in prima, quam in secunda, et tertia instantia audire, cognoscere, fineque debito, omni appellatione remota, pro justitia terminare possit; ita tamen ut a dicto Carolo Rege, ejusque in regno successoribus loco ordinarii assessoris alii novi consultores tam in secunda, quam in tertia instantia, singuli in singulis eo modo, qui nunc servari solet, nisi gravitas causæ plures in qualibet instantia eligendos exigat, destinentur: et quicumque locorum ordinarii, aut alii iudices nec eidem Majori Capellano inhibere, nec in prædictos inferiores Capellanos, clericos, et scholares in eadem capella actu servientes, ac alios in eisdem fortalitiis constitutos, et constituendos, et ibi residentes, et actu inservientes Capellanos, et clericos, tanquam ab illorum jurisdictione prorsus exemptos, et totaliter liberatos, et dicto Capellano Majori dumtaxat immediate subjectos, ullam penitus superioritatem, dominium, et jurisdictionem prædictis respectibus exercere, aut se de illis quomodolibet intrinsece valeant; sed prædicti Capellani, scholares, et aliæ personæ ecclesiasticæ ejusdem capellæ, et fortalitiorum, exercituum, triremium, et locorum hujusmodi coram eodem Capellano Majori, seu ab eo subdelegato iudice dumtaxat in omnibus causis tam motis, quam movendis extra Romanam curiam de justitia respondere teneantur.

III. Ad hoc vero, ut præfatorum exemptorum numerus in immensum, et plus quam oportet, non augeatur, et nimium præjudicium inferatur jurisdictioni ordinariorum, eidem Capellano Majori vigore suarum facultatum non liceat alios clericos, et Capellanos designare, et deputare, nisi eos, qui actuali servitio Ecclesiarum, exercituum, regiarumque navium necessarii sunt; qui in castris, seu fortalitiis totius regni, ejusque pertinentiis duo, aut tres in unoquoque castro, seu fortalitio esse debeant. In exercitibus autem, triremibus, navibus, aliisque lignis maritimis, quæ regi actu inserviunt, itemque in hospitalibus militum, et classiariorum illi solum, qui non modo actu inserviunt, sed etiam stipendia a Rege percipiunt in capella autem regia, et in castris, seu fortalitiis in civitate Neapolitana existentibus solum Capellani, scholares, et clerici, qui actu serviunt; ita tamen, ut scholarium

numerus actu regie capellæ inservientium ultra decem, et Ecclesiæ parochiali S. Sebastiani ultra quatuor non egrediatur; omnium autem aliorum Capellanorum, et clericorum, comprehensis etiam Capellanis honorariis, numerum nonaginta, ita ut omnes Capellani, scholares, et clerici regie Capellæ servitio addicti, castrorum seu fortalitiorum urbis Neapolitanæ, ejusque adjacentium, connumeratis etiam Capellanis honorariis, centum numerum non excedant: præter quem numerum si eidem Carolo Rege, ejusque successoribus alios addere necessarium visum fuerit, id speciali dumtaxat ipsius Regis rescripto fiat, in cujus pietate, eorumque successorum certam fiduciam habemus, si opus fuerit, seligendos fore probos ecclesiasticos viros, litteras testimoniales suorum respective ordinariorum, ut præfertur, habentes, qui morum probitate aliis ædificationi esse possint, et eo tantum numero, qui ad divinum cultum promovendum, et ad inserviendum regie devotioni, et pietati necessarii omnino, et conveniens reputabitur; et ulterius cujuslibet additorum nota curiæ archiepiscopali eam requirenti per Capellanum Majorem statim, ac sine ulla mora, et dilatione tradatur.

IV. Præterea volumus, et constituimus, quod ad eundem Capellanum Majorem pro tempore existentem pertineat directio, et superintendencia circa celebrationem divinorum officiorum, aliarumque ecclesiasticarum functionum, quæ in eadem regia capella peragi consueverunt, et tam in ipsa, quam in Ecclesia Sancti Sebastiani, sita in arce seu castronovo, etiamsi episcopali dignitate non sit insignitus, mitra, annulo, et baculo pastorali, ac aliis pontificalibus insigniis hujusmodi uti, nec non solemnem benedictionem post missarum, vespèrum, matutinorum, et aliorum divinorum officiorum solemniam super populum tunc interessentem impertiri, et ducentorum dierum, si præsens Rex aut Regina fuerit, si autem prorex, centum dierum de injunctis sibi, aut quomodolibet debitis pœnitentiis indulgentiam, et remissionem ab omnibus fidelibus ibi præsentibus vere contritis et confessis consequendam auctoritate apostolica concedere, et publicare possit: in aliis vero Ecclesiis, nisi coram Rege aut Regina, aut prorege, et dummodo Episcopus loci in eadem Ecclesia præsens non adsit, qui per se ipsum ea peragere desideret, ac velit, et insuper in cathedralibus, et Metropolitanis, nisi ab ordinario licentia obtenta, pontificalia exercere nequeat.

V. Liceat autem eidem Capellano in quibuscumque collegiatis, parochialibus, et aliis inferioribus Ecclesiis sæcularibus, et quorumvis ordinum regularibus, etiam monialium in eodem regno constitutis, non autem in Ecclesiis cathedralibus, seu Metropolitanis, nisi de expressa suorum ordinariorum licentia, ad quas eundem Regem, vel Reginam, aut proregem pro tempore existentem devotionis, aut alia ex causa declinare contigerit, per se, aut alios Capel-

lanos cum scholaribus, et capellæ prædictæ ministris divina officia, et Missas tam privatas, quam solemnes celebrare, aut celebrari facere.

VI. Quotiescumque vero in eadem regia capella, et Ecclesia parochiali Sancti Sebastiani, in aliis autem Ecclesiis cum Rex, aut regina, aut prorex præsentis aderunt, et Episcopus loci in eadem Ecclesia præsens non reperitur, verbum Dei annunciare opus fuerit, in ejus arbitrio sit, quemcumque velit, et idoneum censuerit, Evangelii concionatorem accersire sive sæcularem, sive regularem, dummodo is ab hujusmodi prædicationis officio, si sæcularis sit, a suo ordinario, et ab Episcopo loci, si vero regularis, a suo superiore regulari suspensus, et interdictus non fuerit; sed in Ecclesiis, et capellis ejus jurisdictioni subjectis, in quibus Rex, aut Regina præsentis non aderunt, idem Capellanus Major concionatorem eligat, qui tamen alias per Episcopum, si sæcularis fuerit, si vero regularis, etiam per ejus superiorem regularem ad verbum Dei prædicandum approbatus sit, ac licentiam, vel benedictionem juxta Concilii Tridentini decreta ab ipso ordinario obtinere teneatur.

VII. Si vero Capellanus Major sit in episcopali, seu archiepiscopali dignitate constitutus, prædictis scholaribus regie capellæ, et Ecclesiæ parochialis Sancti Sebastiani dumtaxat conferre primam tonsuram, ac deinceps ad omnes ordines minores, atque etiam ad ordines majores, seu sacros juxta sacrorum canonum præscripta, et apostolicarum constitutionum regulas promovere; sin minus, datis litteris testimonialibus super eorum ætate, vita, et moribus, titulo ordinationis, et idoneitate scientiæ, eos remittere ad proprios ordinarios ab ipsis promovendos: si autem non sint Episcopi, aut ordinationes non habeant, a quocumque alio Episcopo in regno Neapolitano existente, dummodo non sit Episcopus titularis, et prænominati scholares habeant omnes, et singulas qualitates clericis promovendis in regno Neapolitano præscriptas in novissimis concordatis inter Sedem Apostolicam, et dictum Carolum Regem, et insuper in supradicta regia capella, aut Ecclesia parochiali Sancti Sebastiani per triennium continuum actu inservierint: præterea per se, aut alios a se deputatos ejusdem regie capellæ Capellanos, scholares, et clericos, qui propter violentam manuum injectionem in alios clericos, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem læsionem, sententiam excommunicationis incurrerint, et hujusmodi sententia ligati Missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, irregularitatem aliquam contraxerint, ab eadem sententia excommunicationis, injuncta eis pro modo culpæ aliqua pœnitentia salvari in forma Ecclesiæ consueta, absolvere, et super irregularitate prædicta dispensare, omnemque inhabilitatis, et infamiæ maculam, sive notam per eos propterea contractam abolere libere, ac licite possit, et valeat, et respective possint et valeant.

VIII. Insuper ut idem Capellanus Major pro tempore existens Regum, Reginarum, ac filiorum, et singulorum utriusque sexus ipsorum familiarium, ubicumque Rex, aut regia curia, seu aula fuerit, etiam ruri recreationis causa, qui eis actu inservientes sint, et eorum impensis, uti familiares continui commensales, viventes, et aliorum omnium, qui in regio palatio, et viridario, et in navali, seu interiori portus parte, vulgo *Darsena*, et in castris, seu fortalitiis clausis Neapolitanæ civitatis, ejusque adjacentis, nempe in Castro Novo, in Castro Ovi, et in Castro S. Herami, Bajæ, et Hischia, et in omnibus aliis locis supra nominatis ejusdem Capellani jurisdictioni subjectis morantur, et degunt, donec, et quousque in iisdem locis commorentur, animarum curam gerat, æque, ac si eorum rector, et proprius parochus existeret, et per se, vel alium, seu alios presbyteros sæculares, vel quorumvis ordinum regulares de superiorum suorum licentia, prævio tamen examine ab eodem Capellano Majori approbandos, et salva Regi, et Reginæ facultate eligendi sibi proprium confessarium arbitrio suo ex presbyteris ab eodem Capellano Majori approbatis, supradictorum omnium confessionem audire, eisque Sacramenta administrare, etiam in mortis articulo; et tempore interdicti eorum corpora ecclesiasticæ tradere sepulturæ, dummodo ipsi causam interdicto non dederint, neque per eos steterit, quominus interdicto pareatur.

IX. Matrimoniis etiam celebrandis, factis tamen prius denuntiationibus, seu proclamationibus a Concilio Tridentino requisitis, si uterque contrahens in locis præsignatis habitent, et morentur; si vero mulier ibi domicilium non habuerit, denuntiationes, seu proclamationes pro parte mulieris fiant, et matrimonium celebretur in parochiali Ecclesia, intra cujus fines ipsa mulier commoratur; si autem aliqui ex prædictis exteri fuerint, capta prius per loci ordinarium informatione, ac ab eodem decreto gratis obtento, quod inter eos licite matrimonium celebrari valeat, similiter idem Capellanus Major, vel alius, seu alii ab eo deputandi, nulla alterius parochi licentia requisita, solemniter interesse: insuper filios infantes in iisdem locis natos, necnon Judæos, seu Turcas, sufficienter tamen prius catechizatos, quos in eorumdem Regum præsentia ex quavis causa baptizari oportuerit, aut prædicti Reges tenere, seu suscipere voluerint, baptizare; ita tamen, ut baptizatorum, parentumque, ac compatrum, et commatrum, necnon matrimonio simul junctorum nomina describantur in libro, quem idem Capellanus Major, vel quisque Capellanus curatus in singulis prædictis locis habere, et penes se retinere debeat, ex quo ad omnem ordinariorum locorum, et partium requisitionem fides, seu attestations in forma solita tradantur.

X. Capellanos, et presbyteros juxta numerum, ac modum supra stabilitum, ad audiendas confessiones pro militaribus copis